

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

venerabili Fratri JOSEPHO T. SANCHEZ, Episcopo titulo Levitano, adhuc Auxiliari Archiepiscopi Carcerensis, electo coadiutori cum iure successionis sacri Praesulis Lucenensis, salutem et apostolicam benedictionem. Quem ad modum curam omnem pro apostolico munere ponimus in Episcopis delegendis, qui christiani populi apti sint rectores et magistri, ita, si qua necessitas urgeat, iisdem cogitate subsidia praebemus, quo et facilius pastoralis suo munere fungi et commissae Ecclesiae bono prospicere pergant. Venerabilis ideo Frater Alfredus Obviar et Aranda, Episcopus Lucenensis, cum ob provectam aetatem huiusmodi auxilio egeret, idoneus Nobis visus es, venerabilis Frater, cui id officium committeremus, rerum pastoralium quam qui maxime peritus vir. De sententia igitur Sacrae Congregationis pro Episcopis deque apostolica Nostra potestate, priore te munere solvimus Auxiliaris sacri Antistitis Cacerensis Teque Coadiutorem nominamus cum iure successionis Episcopi, quem diximus, Lucenensis, datis iuribus obligationibusque impositis, quae ad normam Apostolicarum Litterarum Ecclesiae Sanctae, motu proprio datarum die VI mensis Augusti, anno MDCCCLXVI, huic officio competunt. Ab iteranda autem catholicae fidei professione, iure canonico praescripta, te eximimus, contrariis quibuslibet non obstantibus; ius autem iurandum fidelitatis erga Nos et Successores Nostros dabis, teste quovis Episcopo, Apostolicam Sedem germana fide colente; formulamque adhibitam ad Sacram Congregationem pro Episcopi mittes, de more signatam sigilloque impressam. Mandamus praeterea ut hac Litterae Nostrae clero atque populo in cathedrali Lucenensi templo legantur, die festo de praecepto; quos dilectos filios hortamur, ut non solum te laeto animo accipiant, suum quondam merito patrem et pastorem, verum etiam mandatis tuis pareant coeptisque pastoralibus volentes faveant, ad eorum ipsorum utilitatem assequendam. Non dubitamus denique, venerabilis Frater, quin in amore et deliciis sit et dignissimo Episcopo, cui auxilio mitteris, studiose adesse, et eius curis commissis fidelibus impensiore usque voluntate prospicere. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo Pontificatus Nostri nono. —

ALOISIUS CARD. TRAGLIA

S.R.E. Cancellarius

FRANCISCO TINELLO
Apostolicam Cancellariam Regens

JOANNES CALLERI, Proton
Apost.

EUGENIUS SEVI, Proton
Apost.

Expedita die XIV Jan. anno Pontif. IX M. Orsini Plumbator

In Canc. Ap. tab. Vol. CXL N. 39